

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagratia <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

Sorores tertiariae

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

l. 10. n. 17. ex *Castro pal.* dicit Episcopum peccare mortaliter, si nolit sibi presentatum ordinare extrâ tempora: atque hoc priuilegium alijs quoque Regularibus conuenire. Laudat P. Bassæ. *to. i. V. Ordo. 3. n. 7. vers. Quamuis.* Consuetudinem, eamque in Hispania, Italia & Belgio (adde & nostram Germaniam) vigere dicit, quâ Episcopi die antecedente Sabbathum Ordinationū initiant minoribus ordinandos, vt sequenti die eisdem ex causâ iusta ad Subdiaconatum promoueant.

Alia priuilegia, vt quod eadem die sumantur duò SS. Ordines, quod ante legitimam ætatem à Canonibus, præsertim notui juris, præscriptam, ordinari queant Religiosi, &c. amplius non valere communis est sententiâ, Urban. Portel. Rodriq. ll. cc. Valere adhuc probabile censet Aluifer *de priu. Reg. sec. 3. c. 20. §. 2.*

SORORES TER- TIARIÆ.

436. *Religiosi status Tertiariorū origo.* 437. *Institutum.* 438. *Subiectio.* 439. *Obligatio.* 440. *Circa Diuinum Officium.* 441. *Clausuram.* 442. *Regendi potestas.*

T t 443. 50=

443. *Sororum Tertiariar. Confessarij. 444. Sacellani.*

CCCC-
XXXVI.
*Religionis
Tertiari-
ar. origo.*

436. **T**ertiariorum status, aliàs de Pœnitentia dictus, originem & appellationem accepit à Seraph. Patriarcha S. Francisco, qui cùm duos primùm instituisset Ordines, vnum Virorum, alterum Mulierum, qui sæculo prorsùs abrenunciantes, emissio trium Euangelicorum Consiliorum voto, Deo perfectius inseruirent; tertium insuper, vt omnes Christo lucrificerent, & ad viam perfectionis ampliùs induceret, fundauit, quem & illi tenerent, qui matrimonij iugo subditi sunt, qui proindè Tertiarij seu Fratres & Sorores Tertij Ordinis, seu de Pœnitentia nuncupantur, propter quod in eiusdem singularem laudem canit Ecclesia: *Tres Ordines hic ordinat, primumque Fratrum nominat Minorum; Pauperumque sic Dominarum medius; sed Pœnitentium tertius sexum capit vtrumque.*

CCCC-
XXXVII.
Institutum.

437. Tertius hic ordo, licet, vt dictum, pro coniugatis potissimùm institutus fuerit, & ab his etiam insigni multorum sanctitate nobilitatus, eidem tamen nomina dedere quamplurimi cælibem vitam ducentes, ex quibus aliqui vivebant in cõmunitate, alij extra cõmunitatem in eremitorijs seu in domibus sæcularibus. His omnibus Seraph,

Seraph. Pater præscripsit Regulam, quam
 teste P. Sorbo in *Comp. ad V. Tertiarij*, appro-
 bauit Nicolaus 3. (quânquam Collector
 Priuil. §. 25. *vers. Insuper*. asserat non repe-
 riri Regulam aliquam seu modum viuendi
 à D. Francisco, saltem in scriptis, pro Ter-
 tianjs traditum) in fine dicti *Comp.* posi-
 tam. Qui collegialiter vixere, non solum
 Castitatis, sed & Obedientiæ ac Paupertatis
 votum emiserunt, approbante Sixto 4.
 cuius decretum, quod votum illorum ha-
 beat vim & validitatem voti solennis ac om-
 nem inducat effectum, quæ inducit votum
 solenne factum, cuiusque de Religioni-
 bus à Sede Apostolica approbatis, *refertur*
 in *Comp. V. Ingredi Monaster. vers. secundo*
principaliter. Et V. Tertiarij. §. 7. Quod alij
 Pontifices magis confirmarunt, præsertim
 Leo 10. qui, quoniam in priori illa Regula
 Nicolai 3. quedam Maritatis accomoda,
 calibi verò virgineoque statui, sub huius-
 moditertia Regula Domino famulantibus,
 nullatenus decentia innectuntur, ob quod
 castorum animorum nitidi affectus, ab in-
 gressu dicti Ordinis, nonnunquam auer-
 tuntur, eandem tertiam Regulam, pro his
 quæ tria vota essentialia emittunt & in Con-
 gregatione viuunt, conuenienter ordina-
 tam, de nouo confirmauit & approbauit,
 Et 2 prout

prout in fine sæpèdicti Compendij verbò
 tenus recitatur: Cuius breue quasi Com-
 pendium & vis obligandi caput illius io.
 ita summarie epilogizat: Omnia, inquam,
 & singula in præfenti Regula contenta, sunt
 consilia ad facilius saluandas animas viatorum.
 Et nulla sunt obligatoria ad peccatum mortale
 vel veniale, nisi humano vel diuino iure aliquis
 aliàs esset obligatus. Obligantur tamen fratres
 & sorores facere penitentias sibi à Superioribus
 impositas, quando super hoc roquiruntur. Obligantur etiam ad tria vota essentialia, Paupertatem nihil habendo in speciali: Castitatem, quia post votum non possunt Matrimonium contrahere, nec sine transgressione, vitijs carnis se immiscere: Et Obedientiam, quantum ad illa, sine quibus non potest commodè ista fraternitas manuteneri: Tenentur etiam ad Clausuram seruandam illa, quæ ipsam expressè vouerint seruare, &c.

CCCC.
 XXXVIII.
 Subiectio.

438. Sub hac Regula, per nostram Prouinciã, militant Conuentus quamplurimi, sed Mulierum ferè duntaxat, & antehac in quolibet eorum vix vltra ternas, quaternas aut paulò plures. Ex his cum vnus aliquis in ditone Ill. mi ac Reu. mi Principis Abbatis ad S. Gallum, Ordinis D. Patriarchæ Benedicti, qui S. Mariæ Angolorum dicitur, operà FF. Capucinator. reformatio-

formationem, & ad Regulā Leon. 10. noua insuper statuta Regularia accepisset, confirmata per Ill. mos ac Reu. mos DD. Nuncios Apostolicos, subsecuti sunt alij ferè omnes maximo cum fructu & ædificatione populi, vt cùm prius non sine difficultate, ac vix quaternis, senisùe alendis sufficerent, nunc alimentent commodè profectas de præcipuis ferè Nobilium familijs quadraginta, & vltra. De his, prætermissis cæteris Sanctimonialibus, quoniam ex aliqua parte nostræ adhuc curæ spirituali subsunt, hoc titulo pretium operæ duco, sequentia summatim annotare.

439. Primum igitur, quod circa Sorores istas Reformatas, resoluendum occurrit, est, cum Regula Leonina, quam profitentur. c. 4. statuatur; vt qui vel quæ horas Canonicas sciunt per se dicere, debeant horas Canonicas secundùm vsum S. Romanæ Ecclesiæ persolvere, &c. Vtrum, inquam, illæ quæ de facto horas Canonicas in Choro persoluedas acceptauère, v. g. Lucernæ, Altorfij &c. peccent mortaliter eas vel earum partem notabilem non recitantes? Vt ratione dubitandi cognitâ, cognoscatur etiam Resolutio. Sciendum est duas esse DD. opiniones maximè oppositas, quam habeant Sanctimoniales obligationem

CCCC-
XXXIX.
Obligatio.

It 3

tionem

tionem recitandi officium Diuinum. Affert vna eaque communis, teneri Moniales omnes dicere illud in Choro saltem, sicut alij Regulares. ex Clem. 1. de Celebr. Miss. Vbi præcipitur, quod in omnibus Ecclesijs Cathedralibus & Regularibus, atque etiam Collegiatis, horæ canonicæ deuotè præfallantur, conuenienterque celebretur Diuinum officium, Nocturnum pariter ac diurnum. Teneri etiam Moniales choro destinatas ad id priuatè & extrà Chorum recitandum. Ita Lezan. 10. 1. c. 25. n. 13. Id ipsum quoad officium publicum, extendit Less. in Resol. Var. V. Hora Canonica. cas. 16. relatus à Bassaoro 2. V. Hora Canon. n. 6. ad Conuentus seu Capitula Canonicarum Montensium & similitum, vti quidem in partibus nostris sunt Lindauenses, Andelauenses, &c. De priuata recitatione, dicit, credibile non esse tam seuerè illas Virgines nobiles obligari ad quotidianam recitationem, si tamen ad longum tempus omittent, v. g. ad mensẽ integrum vel fortè etiam ad hebdomadam vnã, credibile, eas peccare mortaliter. Absolutè contrarium tenent alij dicentes, Regulares, etiam Viros antè susceptionem SS. Ordinum, non ex præcepto aliquo communi Ecclesiæ, neque ratione statûs Regularis, neque con-

sue-

suetudine in Religionibus recepta teneri officium Diuinum persolvere. Pro hac opinione referuntur imprimis Caramuel in Regul. S. Benedicti n. (iuxta Bassæ. 10. 1. V. Horæ. Canon. 1. n. 5.) 1443. (secundùm Tambur. verò in Decal. l. 2. c. 5. §. 1 n. 13.) n. 1359. Et Bordon. in Conf. Reg. ref. 30. n. 3. citantes, vt ait Tambur. etiam alios. Prout & aliorum etiam, sed tacitis nominibus meminit Rodriq. 10. 1. qq. Reg. q. 42. a. 20. Quorum, inquit, opinio mihi nunquam potuit placere, & dictos iuuenes sacris nondum initiatos) & Moniales in hoc defectuosos à peccato minimè liberarem. Eandem teste Tambur. cit. Reginald. vocat temerariam; Sanch. non probabilem; Diana prorsus improbandam. Bassæ. l. e. Idè meritò fuisse correctam apud Em. Sa. à Mag. S. Palat. in edit. Roman. Histamen non attentis, nouissimè P. Marchant. in suo Tribun. 10. 2. tr. 2. p. 2. tit. 3. sec. 1. q. 2. sustinet Regulares & Moniales, quæ ex vi Regulæ, vel voti speciale præceptum non habent, sub nullo peccato obligari ad horas canonicas priuatim recitandas. Istum P. cùm quidam Bertrandus Loth ex instituto impugnasset, suam denuò Marchantius opinionem in Resol. Nor. cas. 32. aduersus Bertrandum constanter tueretur; tum quia nullum de hoc exte

Tt 4 Eccle,

Ecclesie præceptum; tum quia consuetudo, quæ potissimum prætenditur ad culpam mortalem, non obliget, nisi aut ipsum Ecclesia exprimat, aut ex circumstantijs deducatur, utpote, quia in materia graui, &c. aut ipsa consuetudo sub hac obligatione probetur introducta vel recepta. In confirmationem huius adducit Declarationem Eugen. 4. in Bulla, quæ incipit: Ordinis tui. In qua cum B. Ioannes Capistranus retulisset in Regula 1. S. Claræ contineri præcepta Regularia sub mortali obligantia n. 130. Inter quæ vnum erat de lectione horarum Canonicarum: Pontifex id nimis durum & periculosum æstimans iudicauit in nullius illorum transgressione peccati mortaliter, præterquam ea quæ concernunt vota Obedientiæ, Paupertatis, Castitatis, Clausuræ & Electionem aut Depositionem Abbatissæ. Ex quo dictus Author infert non solum Clarissas liberas esse ab obligatione, verum etiam consuetudinem, quæ apud Regulares obtenditur, eam vim non habere, ut passim creditur.

Cum Marchantio, quamuis ab eo Lezana differat in conclusio, conuenit tamen in principijs, dum 1. expressè fatetur 10. 1. c. 12. n. 8. nullum extare præceptum Ecclesiasticum, quo teneantur Moniales siue in

Choro,

Choro, siue extrà Chorum ad officium.
 2. *V. Leges Regul. n. 57.* docet, vt consuetudo habeat vim legis, debere introduci per actus factos ex intentione obligandi se per modum præcepti: atque in dubio, nisi adsint sufficientes coniecturæ, præsumendum esse solum ob deuotionem introductam, cum in dubijs sruat conditio possidentis suam libertatem, & nemo præsumatur sibi onus posuisse, nisi constet de ipsius voluntate. Quibus ita se habentibus, non sine fundamento Marchantius inferet suã conclusionem pro libertate Monialium. Veruntamen huius consuetudinis obligationem, quam communiter Doctores agnoscunt, nõ esse planè reijciendam, vel ex hoc vno liquet, quod nemine excepto, fateantur cuncti Diaconos & Subdiaconos teneri ad officium Diuinum recitandum, de quo tamen Nau. *tr. de Orat. c. 7. n. 2.* planè testatur nullum extare in iure Canonico Decretum. Ex quo fit, inquit ibi Nauar. vt Diaconi & Subdiaconi generali totius Ecclesiæ consuetudine, eadem lege teneantur, quã Presbyteri & Clerici Beneficarij: Consuetudo enim vim legis habet moribus vrentium recepta, &c. Idem sentire communiter Doctores, asserit Tambur. *in Decal. l. 2. c. 5.*

§. 1. n. 3.

Tt 5

Quod

Quod porrò Marchantius adducit Declarationem Eugen. 4. itemque verba, superius iam quoque recitata, ex c. 16. Reg. Leon. 10. pro Tertiariis. plus non videntur probare, quàm Sanctimoniales illas non teneri ex vi Regulæ, cum quo tamen bene stare potest, quòd teneantur ex lege seu consuetudine Ecclesiastica. Vndè & Mirandatr. de Monial. q. 9. cum art. 4. idipsum docuisset, quod ex Eugenio relatum est, articulo postmodum 6. concludit, omnes in vniuersum Moniales ex ratione sui statûs, teneri ad diuinum officium, in particulari, dicendum, quamuis aliàs ad id ex ipsarum Regulis non adstringantur. In cuius confirmationem insuper allegat concessionem quandam Clem. 7. relatum in Comp. Priu. Mend. V. Moniales. n. 30. quâ Pontifex eas, quæ propter imperitiam nesciunt perfectè recitare diuinum officium, iudicio Prælatorum, seu Confessorum, vel etiam Abbatissarum, recitando officium Laicarû, censentur satisfecisse obligationi de dicendo officium, quod dicere tenebantur. Vbi ponderat verba: *Obligationi, & tenebantur.* Expensis, quæ in vtramque partem adductæ sunt, rationibus, nihil omninò solidi vrget, à priori sententia communi auctoritate fultis, recedere, secundùm quam, cum Tertiaria

tariae Sorores, sicuti sunt verè Religiosæ,
 per Declarationem Sixti 4. in Comp. Priuil.
 V. Tertiarij fratres. S. 7. ita propriè Monia-
 les sint ac dicantur. Panorm. in c. *Causam*.
de Electio. dicens: quòd ista nomina, Sorores
 & Moniales, sunt Synonima, id est, idem impor-
 tantia. sequi videtur, eadem omni ratione
 teneri ad horas canonicas, quàm cæteræ Mo-
 niales. Atque ita tenet in terminis Cordub.
 in Comp. Priu. ad V. *Moniales.* scilicet, Mo-
 niales & Sorores ex jure communi teneri
 in Choro dicere officium Diuinum, sicut
 alij Regulares seu Religiosi, per Clem. 1.
 addit tamen, vt videat vnaquæque Religio,
 quid ex statuto vel consuetudine respectiue
 circa hoc habeat. Sed hic Author, vt indi-
 cat annotationis illius initium, sicut & ip-
 sius tituli, nomine Monialium & Sororum
 solum intelligit Clarissas primæ & secun-
 dæ Regulæ, &c. quæ cum ex proprijs, Re-
 gula & Statutis Choro deputatæ sint, nihil
 inde arguere licet circa Tertiarias. Quare
 dictis non obstantibus

440. Sorores Tertiarias Reformatas, CCCCXL
 neutiquam ad recitationem Diuini officij Ad Dis.
 obligatas esse, planè persuasum habeo, siue Officium.
 in Choro siue extra Chorum: siquidem
 prima earum institutio alia non sit, quàm
 cura specialis obseruandi mandata Dei præ-
 terquam

terquàm soleant Sæculares communitè,
 quod expressè significant verba *cap. 1. Pro-*
mittant seruare mandata Dei. Et *cap. 10. Om-*
nia & singula in presenti Regula contenta, sunt
consilia ad facilius saluandas animas Viatorum.
 Et nulla sunt obligatoria ad peccatum mortale
 vel veniale, nisi humano vel diuino iure aliquis
 aliàs esset obligatus, &c. quæ verò sint obli-
 gantia, mox ibidem subiunguntur, nempe
 tria vota Religioni essentialia, facere pœni-
 tentias, quando super hoc requiruntur: de-
 mum Obseruantia Clausuræ, si quæ illam
 expressè vouerint. Ita sola cum singulari-
 ter & expressè excipiantur, liquidò constat,
 etiam quod in *cap. 4.* dicitur; *vt qui vel quæ*
horas canonicas sciunt per se dicere, debeant eas
persoluere, &c. tam hoc quàm reliqua omnia
 non aliter obligare quàm de consilio: cum-
 que præceptum aliud neque humanum ne-
 que diuinum ad horas illas persoluendas
 extet, si quam consuetudinem faciant eas
 recitandi, hanc esse ex mera deuotione.
 Quod & praxis confirmat, quæ liberum
 istis Sororibus semper fuit, & adhuc manet,
 certum aliquem pensum orationum recita-
 re: vnde aliquæ solum officium paruum
 B. V. etiam in Choro persoluunt, aliæ quæ
 maiora habebant se sustentandi media, sua
 sponte cœperunt officium maius dicere, ne-
 mine

mine iubente seu præcipiente, imò contrarium suadentibus earum statutis approbatis, vt suprà memini, à DD. Nuncijs Apostolicis c. 4. ne præsumant addiscere latinū, quo possint recitare Diuinum officium maius, sed potius memores paupertatis ac simplicitatis ad seruandam concordiam paribus occupentur exercitijs atque laboribus.

441. Circa Clausuram, quam iuxta liberam facultatem Pontificis in sine Regulae concessam (modò hospitalitas & charitas, quam exercere solent apud infirmos, nullum cum honestate patiatur detrimentum) quædam etiam spontè acceptarunt. Obseruanda sunt ea, quæ propterea annotauit Cordub. in Comp. Priu. V. Clausura Monial. Quod quæ uouerunt Clausuram absolutè, nihil excipere intendentes neque exprimentes vllam limitationem, eam etiam teneantur obseruare absolutè sine exceptione alia, sicut & aliæ Moniales comuniter clausurâ seruantes ex Regula; quia verba absoluta & sine exceptione intèta specialiter aut expressa sunt absolutè & generaliter intelligenda. c. Quoniam. de Coniug. leproso. Et vbi ius non distinguit, neque nos distinguere debemus. De Maior. & Obed. c. Solitaria. ac i. quidem quoad egressum: quamuis, vt dictum, in Regula ijs concedatur ad curandum

CCCC:

XLI.

Clausura

vamo

randum infirmas, hoc tamen intelligendum est, pro illis partibus, ubi est talis consuetudo ipsis Tertiarijs, quam consuetudinem quæ non habent, hanc ob causam ex-eundi facultatem non habent. 2. Quoad ingressum aliarum Personarum, quia de iure communi c. Periculoso de statu Monach. in 6. rursus innouato per Trid. sess. 25. de Regul. c. 7. Ingressi intra septa Monasterij nemini licet, cuiuscunque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, sine Episcopi vel Superioris licentia, &c. Idcirco famuli aut Personæ aliæ sæculares prædicta Monasteria Tertiariarum uouentium absolute clausuram, ingredi non possunt, nec admitti intra illa, nisi in casibus licitis & necessarijs, quomodo & quando de iure communi & consuetudine approbata possunt ingredi & admitti ad alia Monasteria eiusdem Regionis seruantia Clausuram, prout tradit Cordub. cit. nor. 3. & 7. quoniam, ut ipse loquitur, secundum Ulpianum in l. semper in stipul. ff. de Regul. jur. si non apparet, quod actum est, consequens est, ut id sequamur, quod in Regione, in qua id actum est, frequentatur. Atque ideo uorum Clausuram absolute factam à prædictis Tertiarijs, debet intelligi & seruari secundum ius commune, vel ut communiter seruatur ab alijs Monialibus uouentibus Clausuram in eadem Regione, maxime ab

ab illis, quæ sub ead. obedientia viuunt, &c. Sic
 esse. Aliæ Sorores, licet ad Clausuram ab-
 solutam ex voto non tenentur, quando-
 quidem verò vitam verè religiosam agere
 promiserunt, & trium essentialiũ votorum
 emissionem sese plenissimè Deo & Ecclesiæ
 consecrârunt, meminisse debent, quantâ
 hæc cum sollicitudine ac curâ, quàm serid
 Clausuram, tanquam vitæ religiosæ & Re-
 gularis Disciplinæ remedium necessarium,
 femineo præsertim sexui in Trident. & ali-
 is Pontificijs Decretis præcipiat. Cuius præ-
 cepti rigorem, etsi earum non tam consue-
 tudo, quàm aliqua ex defectu se & Capella-
 num sustentandi necessitas, mitiget; vbi ta-
 men hæc ipsas ad egressum non vrget, con-
 tra mentem Ecclesiæ omninò faciunt, si
 quacunque ex causa foras vagentur, aut per-
 sonas alienas facilè intromittant, præter-
 quam, SS. Canonibus statutum est: singu-
 latim à Pio 5. in Bulla: Ea est officii. A. 1568.
 in Bullar. Rodriq. n. 32. quæ §. 11. de præsentî
 re sic statuit: Sorores dicti tertij Ordinis in
 communi in domibus, Monasterijs vel Hospitali-
 bus, aut aliâ Congregatione viuentes, & dicta
 tria vota substantialia Religionis emittentes,
 sub perpetua Clausura maneant, nullusq; frater
 aut Confessor earum, vel quicumque Prelatus ad
 domos, Monasteria, vel alia loca Sororum huius-
 modi

modi in communi & collegialiter viuentium, nisi quibus ex officio incumbit, & in casibus necessarijs à jure permisis, & tunc cum vno vel duobus socijs prouectis & honestis ingredi audeat; qui secus fecerit, carceribus mancipetur, omnibusque administrationibus & officijs deponatur, &c. Peculiarem eiusdem Pontificis Constitutionem, super Clausura & Reformatione quarumcūque Monialium: cuius initium: Circa Pastoralis, dat. 4. Cal. Iun. 1566. Refert ibidem Rodriq. n. 6. vbi de Tertiarijs loquens: Mulieres, inquit, quæ Tertiariæ vel de Pœnitentia dicuntur, cuiuscunque fuerint Ordinis, in Congregatione viuentes, si & ipsæ professe fuerint, ita vt solenne votum emiserint, ad Clausuram præcisè (vt præmittitur) & ipsæ teneantur, &c. Videantur circa hæc, quæ dicta sunt V. Clausura.

CCCC.

XLII.

Regendi
Potestatis.

442. Quam potestatem habeat Sororum Tertiariatum Præposita, quæ communi vocabulo, Mater, appellari solet, constat ex dictis V. Prælaris Regularis. n. 388. habere scilicet maternam duntaxat, domesticam & ciuilem. Quoad Iurisdictionis Potestatem, quædam ex dictis Reformatis Soribus nostræ Prouinciæ subsunt immediate Ill. mo. ac Reti. mo D. Episcopo Constantiensi, vt Brigantina, Appencellenses, &c. aliæ Principi, ad S. Gallum Abbati, vt Roschaceni.

Ichacenses, S. Mariæ Angelorum &c. Re-
 liquæ Ill. mo ac Reu. mo D. D. Nuncio Apo-
 stolico, qui suas visitandi vices pro libitu
 committit alijs Prælati, vel ad dies vitæ,
 vel vnâ tantum & alterâ vice. Laboratum
 quidem ab initio huius Reformationis fuit
 totis viribus, vt onus istud Capucini in sese
 reciperet, qui tamen nõ minori conatu sese
 opposuerunt, & opponent in posterum sem-
 per, si meminisse velint, quàm hoc auersa-
 tus fuerit Seraph. N. Patriarcha S. Francis-
 cus, qui licet vnus Monasterij S. Damiani,
 in quo S. Clara prima eius Discipula prin-
 cipium suæ Religionis dedit curam in se sus-
 ceperit, nihil tamen aded eidem displicuit,
 quàm quod fratres in alijs partibus, Moni-
 alibus Domicilia constitui, & per se regi,
 impensus voluerint. Vltrà verò modum an-
 gebat, quod suum eis nomen communica-
 uerint & *Minorissas* vocari decreuerint.
 Quare instanter egit, cum Ill. mo D. Cardi-
 nale Hostiensi Hugolino, Primo Protecto-
 re ordinis Minorum, vt quantum liceret,
 elongaretur à fratribus cura & familiaritas
 Sanctimonialium, si consultum vellet eo-
 rum famæ & profectui: & quod illo no-
 mine pauperum *Dominarum* aut *inclusarum*,
 audirent, donec tempus aliud conuenien-
 tius & aptius imprimeret. De cætero quan-
 tum
 Vu
 tum

tum ipse potuit, suos ab eiusmodi cura re-
trahebat, sapiùs turbato animo dicens: *Ti-
meo, ne dum Deus nobis abstulit vxores, diabo-
lus nobis procurauerit Sorores.* Cumque B. F.
Philippus longus, vnus ex Seraph. Patris
Socijs, Primus Visitator Monialium, pro-
curante dicto Hugolino Protectore, insti-
tutus fuisset inconsulto S. Patre: Reproba-
to B. Philippi Zelo, hunc ita reprehendit:
*Malè fecisti F. Philippe, malè fecisti; hucusque
fistula fuit in carne, eratque curationis spes, sed
nunc in ossibus radicata, evasit incurabilis.* Sa-
nè prophetavit; nam dum Moniales erant
sub aliena cura, facilè poterant fratres ab
eis anelli, & familiaritatis damnùm præ-
tuleri; at postquam curam illam subierunt,
plaga insanabilis facta est, dum non potue-
runt etiam quando voluerunt, onerosam,
molestam & periculosam iam factam excu-
tere, vt probatum est magno ordinis dam-
no, sub generalatù S. Bonauenturæ. Vide
*Martyrologium Franciscanum P. Arturi à Mo-
nasterio die 14. Mart. §. 10. & seqq.*

CCCC-
XLIII.
*Sor. Ter-
tariar.
Confessio-
res.*

443. Confessiones Sororum Lucernæ,
Vranæ, Subsylvaniæ, Solodori & Friburgi
Nuith, vbi Clausuram seruant formalem,
excipiunt Capucini tanquam ordinarij Re-
liquas autem, quæ conuentus incolunt no-
bis vicinos, more aliorum sæcularium, ac-
cedentes

cedentes ad nostras Ecclesias audimus. Quibus tamen, quia communiter apud nos confiteri solent, quando grauitèr infirmantur, in proprijs earum templis aut locis etiam intrà clausuram sitis, Sacramentum Pœnitentię administrare, si aliter audiri nequeunt, nobis licet, ex cõcessione Ill. mi D. Nunciij Apostolici & consensu Definitionis Generalis An. 1656. Cæterùm nullus Conuentuum earum, quod mihi constet, vtillos casus reservatos habet præter Papales, etiam quæ subsunt Episcopis, cum Casus Episcopales concernant solum vel Clericos vel Laicos, quorum nomine Regulares mulieres non venire dubium non est. Moniales dictas Privilegiarum & Indulgentiarum communicationem habere cum ordine Minorũ & alijs, constat ex dictis *V. Privilegium, n. 423. & seqq.* his etiam gaudere, quæ concessa sunt Tertiariis sub Obedientia FF. Minorum viventibus, non obstantè recessu à tali obedientia, ambigendum non est, cum nulla sit differentia inter obedientiam Prælatorum Minorum, & obedientiam Ordinariorum. De similibus enim siue connexis, est idem iudicium. *t. Inter ceteras. de Rescript.* Et Bulla Leon. 10. de qua *U. V. Privil.* absque acceptione personarum de omnibus Mendicantibus vtriusque sexus
 Vu 2
 etiam

etiam de Pœnitentia siue Tertiariis, loquitur de Ne-
tur P. Bassæ V. *Privilegium. s. n. 7. vers. Ani-*
maduerendum. Et latè Quintad. *sing. tr. 8.*
sing. 16. & in Append. tr. 5. dub. 1. 3. & vlt.

CCCC-
XLIV.
Sacellani. 444. Capellanos Sæculares Monialium
debere dicere Missam de Sancto, de quo fig-
officium à Monialibus, sed cum Missa
Romano, à S. Congreg. decisum 20. Nou.
1628, refert Gauant, *in Rubr. Miss. p. 3. tit. 10.*
n. 16. vers. Intellige. Ex hoc verò infer-
Quintad. *cit. tr. 8. sing. 7.* posse dictos Ca-
pellanos recitare officium de eodem, de quo
faciunt Moniales, & sub eodem ritu dupli-
ci seu semid. sed ex Breuiario Romano: tum
propter connexionem, quam ex Ecclesiæ
institutione, præcepto & vsu habent inter
se Missa & Officium. *In Rubr. 1. Miss. §. 4.*
n. 3. vt, quoad fieri potest, Missa cum offi-
cio conueniat. Tum quia Beneficiarius
illam Ecclesiam sequi debet, cui tenetur
inseruire. Imò Clericus & Beneficiarius re-
citare debeant iuxta morem Ecclesiæ, in
qua resident, etiamsi in alia habeant Ca-
pellaniam, &c. possunt igitur recitare in
Sabbathis de Conceptione B. V. & ferijs
quintis similiter non impeditis de Eucha-
ristia, quodcumque de his recitant ipsæ
Moniales. Si nulla sit Missa in Romano,
quæ concordet cum officio Monialium,

puta

puta de Nomine Iesu & similibus, ait Gau-
 iii. eo casu recitandam esse Missam de Cir-
 cumcisione Domini, &c. vel quæ similio-
 res sunt Mysterio aut Sancto, de quo cogi-
 tamus celebrare. Quintad. *sing.* 27. Cate-
 rùm vsus obtinuit, et non solum Capellani
 Monialium, sed & quicumque Sacerdotes
 celebrantes in earum, vel quorumcunque
 Regularium Ecclesiis, dicant Missas ex
 Missali proprio Regularium, contra ex-
 pressam Declarationem S. Congr. Rit. 19.
Nou. 1622. apud Lucern. Regul. V. Missæ. n. 1.
 Et Gauant, in *Man. Episc. V. Missarius. n. 1.*
 Quod Missæ approbatæ pro certis Regula-
 ribus nequeant ab aliis celebrari, nec in eo-
 rundem Regularium Monasteriis.

VISITATOR REGV- LARIS.

445. *Visitatoris Regularis officium.* 446.
Obligatio. 447. *Visitandi libertas.*
 448. *Postulatio.* 449. *Potestas.*
 450. *Amplitudo.* 451. *Commissio.*
 452. *Recusatio.*
 453. *Prouincialis, tempore Visitationis Iuris-*
dictio in foro externo. 454. *Interno.*
 455. *Syndicatus.* 456. *Authori-*
tas. 457. *Defensio.* 458. *Contra*
violentiam. Vu3 459.